

non potuit esse felicitas, quia paupertas erat præcepta, nemo quidquam proprium possidebat: & obedientia assiduis præceptis & castigationibus urgebatur ad sanguinem usque. In prima Ecclesia Christiana non fuit felix societas, quia nemo suum aliquid dicebat, & ad pedes Apostolorum projiciebant patrimonia sua? Auctor felicitatem metitur ex hypothesi miseriæ. Supposita hac miseria, quod civitas parvo contenta non sit, sed avara; sequitur felicitatem reputari, si avaritiam expleant opes, & quilibet pro quadra sua depugnet. Supposita hac miseria quod spiritus superbi parere renuant, felicitas reputari potest, si obedientiæ jugo careant & gaudeant libertate. Manet ergo certum, felicitatem veram etiam civitatis probe consistere potuisse, etiam si Christus Consilia evangelica pro præceptis dedisset: & manet falsum, Præcepta talia Christi contraria futura fuisse spiritui legum Christi, si spiritus legum Christi consistit in subordinatione ad felicitatem civitatis.

De Celibatu paulo post seorsim differendum.

175. Faciamus autem aliam hypothesin, & supponamus, auctorem spiritum legum Christi agnoscere contrarium spiritui suo,

non ordinatum principaliter ad clima, ad cutem, ad felicitatem civilem, sed principaliter ordinatum ad vitam futuram, & hæc caduca sibi tantum subordinantem. Quod si ergo Christus præcepisset paupertatem, obedientiam, & continentiam, hæc præcepta essent contraria spiritui legis Christi, hoc est contraria vitæ æternæ. Non posset obtineri æterna felicitas, si præcepta esset paupertas? non posset recuperari bona æterna, si præceptus esset contemptus bonorum caducorum? Paupertas voluntaria sive contemptus rerum terrenarum si consilium est, tendit ad vitam æternam; si præceptum est, est contraria vitæ æternæ. In hoc discursu equidem ego non modo non multum, sed nihil plane philosophiæ conspicio.

176. Sed pergit auctor fallaciarum suarum ramos explicare pulcris de more antithetis. Sic enim incipit Caput septimum: *De legibus Perfectionis in religione. Leges humane, quia factæ sunt ad loquendum spiritui* (hoc est intellectui) *debent dare præcepta & nulla consilia. Religio, quia facta est ad loquendum cordi* (hoc est voluntati) *debet dare multa consilia, pauca præcepta.*

Examinemus has antitheses belli sed minime solidi ingenii. Leges humanæ factæ sunt ad loquen-

quendum spiritui, hoc est, ad intellectui & rationi humanæ ingenerandas cognitiones.

Sed hoc adverstatur spiritui Naturalistarum, qui volunt nos Jus naturæ ex sola ratione discernere, auctoritatem exesse. Hic autem novus auctoris spiritus vult auctoritate & legibus humanis instrui rationem.

177. Deinde hoc ipsum adverstatur huic legum spiritui novo per auctorem invento. Huic enim spiritui perinde est, vera sint media an falsa; adeo ut etiam religio falsa spiritui politico profit; quia principaliter utilitas, hoc est, denique per se sola utilitas & sola bonitas attenditur non veritas. Spiritus autem seu intellectus sola veritate illustratur, eam solam pro objecto proprio habet. Ergo si leges humanæ factæ sunt ad hoc, ut intellectui loquantur, eumque regulent, debent leges veritatem curare, nec possunt eam insuper habere. Debent ergo spiritu legum præcipiente esse veræ & non debent esse veræ: debent esse contradictoriæ.

178. Deinde quæ, obsecro, consequentia. Leges humanæ debent loqui intellectui, ergo non debent dare consilia? quasi sola præcepta illustrarent intellectum, & non potius consilia? Quod si consilia æque ac magis

illuminant intellectum quam præcepta, sequitur, leges humanas si factæ sunt ad illustrandum intellectum, debere potius consilia dare quam præcepta. Et auctor pulcris antithetis suis inani sonoseductus umbras secutus est, qui sponderat lucem.

179. Rursus leges humanæ æque ac divinæ ex præscripto auctoris principaliter intendunt & intendere debent felicitatem, hoc est bonitatem, abstrahendo à veritate, & ita ut falsissima dogmata quandoque admirabiliter bona sint pro societate felice facienda. Ergo leges humanæ ad eam animæ potentiam loquuntur, quæ pro objecto habet bonum; hoc est ad voluntatem, & ut Galli enuntiant, ad *Cor*: adeoque falsa sunt omnia auctoris antitheta.

180. Alterum antitheti membrum æque est anceps. Religio facta est ut loquatur ad cor, contra quam leges humanæ, quæ ad intellectum loquuntur. Ergo, intulit alibi, non tam veritas attendenda est in religione, quam bonum sociale ex ea nasciturum. Nunc vero infert: ergo religio potius de veritate sollicita esse debet quam de bonitate. Nam consilia utique exquirimus & damus æque veritatis causa ac bonitatis?



181. Sed mox ambidexter auctor refert gradum, & ait, leges quamvis non ad cor loquantur ut religio, tamen pro objecto & fine habere *bonum*. Quidlibet ex quolibet facit, magnus contradictionum foccus.

182. Alium deinde arietem admovet. „ Si consilia, quæ ad perfectionem majorem tendunt, sunt leges & præcepta, „ opus erit *infinitis* aliis legibus, „ ad urgendam observationem primarum. Celibatus fuit consilium Christianismi: postquam „ is conversus est in legem pro „ certo Ordine hominum, quotidie opus fuit novis legibus, „ quibus homines reducerentur ad observandam hanc. „ Legislator se fatigavit: fatigavit idem societatem, ut adigeret homines ad exsequendum „ ea per præceptum, quæ amatores perfectionis exsecuti „ fuissent tanquam consilium.

Multa hic farrago inanitatis, parum philosophiæ.

183. Sophisma hoc est primum: omnia quæ aliis legibus opus habent ut observentur, non debent præcipi, sed consulti tantum. At Consilia evangelica imposita hominum certo ordini opus habent aliis legibus. Ergo hæc consilia debent esse, & pro nullo hominum ordine præcipi.

Pari ratione sic disputabo: At qui leges Romanæ, leges nostræ statutariæ, & in universum *omnes humanæ* multis aliis identidem legibus opus habent, quæ homines reducant ad priorum observantiam. Ergo leges omnes humanæ non debent esse leges nec præcepta sed consilia.

184. Sophisma alterum: Quidquid fatigat legislatorem & societatem in renovandis legibus, non debet imponi præcepto, sed amatoribus justitiæ sponte faciendum relinqui. At Celibatus fatigavit: Ergo is non debet ulli ordini præcipi.

Hoc modo etiam arguam furtum non debere prohiberi sed sponte sua ab illo abhorrentibus vitandum relinqui. Certe leges contra furta & fraudes fatigant legislatorem.

185. Adverte etiam, quod huic auctori solæ illæ leges *infinite* videantur, quæ ad celibatum pertinent: solæ hæc fatigant legislatorem & societati solæ hæc molestæ sunt. Nullæ aliæ sunt præterea leges in Francia & in tota hominum gente, quæ sint adeo multæ ut *infinite* dici mereantur.

186. Adde quod hoc Sophisma omnium maxime evertat *legem naturæ*. Lex naturæ omnibus aliis legibus hactenus opus habuit. Ad servandam enim legem naturæ latæ sunt primum pluri-

plurimæ leges humanæ: ad legem naturæ servandam lata est lex divina positiva. Ad servandam rursus legem positivam divinam plurimæ leges humanæ Ecclesiasticæ & civiles latæ sunt. At illud quod aliis legibus opus habet ad sui observationem, non debet esse lex sed consilium libertati relictum. Igitur lex naturæ, lex divina, lex humana non sunt leges, sed debent per modum consilii relinqui arbitrio ultroneo. Multum nempe philosophiæ suis bellis antithesis includit auctor.

Auctor, qui toto fere libro suo unum grande sophisma *Non causa ut causa* scripsit, illud aliis locis aliter & manifestius prodit. Celibatus fatigavit legislatorem, legislator societatem: ergo celibatus debet esse consilium non lex: sic ille, non attendens ad veram causam fatigationis. Celibatus seu consilium sit, seu lex, non fatigat legislatorem, sicut homines innupti in republica eum non fatigant propterea quod innupti sunt. Sed vitium, luxuria, fornicatio intemperantium hæc sunt quæ fatigant. Sicut Lex de non occidendo, non furando non est causa fatigationis legislatoris: sed inobedientia & transgressio fatigant legem & societatem, quæ legibus servatis futura est quæta.

187. De celibatu jam pauca dicam. Is præcipue sicut plerisque hæreticos, ita hunc auctorem mordet. Belli ingenii emarcidos nervos huc contendit ut celibatus, qualis nunc est in Ecclesia Christiana, supprimatur, ut lex Papia legi Christi & Ecclesiæ præferatur, ut Patres eidem intercedentes homines simplices & ignorantés videantur, & inepti societati horum Politicorum.

Non hoc loco celibatum defendo, qui se ipsum apud sana ingenia defendit: sed hujus auctoris fallacias detego, ad quas eum induxit & mala voluntas, & bellum ingenium soliditate carens, & cacoëther ferendorum antithetorum.

188. Primo loco dixerat: Christum non debuisse consilia, hoc est celibatum, *præcipere*; ne suo spiritui adversaretur: & loquitur auctor generaliter. Itaque celibatus neque omnibus hominibus neque paucis præcipi debet, quibuscunque enim præcipiatur, generaliter verum est, contra spiritum legis Christianæ peccari. Nam cur spiritui Christi contrarium sit præceptum pro omnibus, non autem sit contrarium præceptum pro his vel illis?

At mox postea à generali, in quo dubium saltem nobis reliquisset, descendit ad particularia, & dicit præceptum celibatus certo



certo hominum ordini in particulari datum, æque contrarium esse spiritui legum Christi; quia nempe aliis legibus opus habeat & fatiget societatem. Unde nobis exemit auctor hoc dubium, & semel præcise locutus est, celibatum neque generatim neque in particulari præcipi posse. Unde manifestum est, ab auctore revera totum celibatum impugnari, & esse in numero eorum, qui ab Ecclesia damnati sunt in Joviniano in Wiclefo, Husso & Lutero.

189. Deinde quomodo non ludit auctor, quando ait, se in hoc opere non agere Theologum? Decernit quid præcipere debuerit Christus, quid tantum consuleri, & decernit nisi ita faciat Christus & Christi Ecclesia, eos peccaturos in spiritum Christi, hoc est in spiritum sanctum. De peccatis in spiritum sanctum decernere estne negotium politici? Nec auctorem ego hæreticum dico: sed eas ipsum sententias docere, quæ in multis hæcenus hæreticis damnatae sunt.

190. Rursus & in hoc agit Theologum sed, ut necesse erat, falsum, quod Ecclesiam erroris accusat, ut quæ præceperit ea, quæ si ipse Christus præcessisset, ipse contra suarum legum spiritum peccasset. Tam is qui Ecclesiae infalibilitatem asserit,

quam is qui eam impugnat, Theologum tunc agit.

191. Denique maligne versatur auctor in toto hoc consiliorum negotio exponendo. Asserit Ecclesiam celibatum præcepisse certo hominum Ordini: cum hoc sit falsum. Ecclesia æque ac parum ac Christus præcepit celibatum vel uni hominum. Sed nihilominus Ecclesia æque ac Christus præcepit, ut qui celibatum sponte suscepissent, idque non quomodocunque sed voto nuncupato & sub reatu gravis peccati sibi imposito, ut illi eundem celibatum servent illæsum, quemadmodum & paupertatem & obedientiam, & cetera DEO promissa. Et nihilominus hoc ex mente auctoris repugnat spiritui Christi, fatigat enim legislatores & aliis legibus opus habet.

192. Christus, cum adolescens eum secuturus vellet parentes resalutare, dixit, eum non esse aptum ad regnum DEI, quia manum misisset ad aratrum & tamen converteretur retrorsum. Satis efficaciter obligavit Christus hunc hominem, quem sub periculo excidendi regno DEI vetuit redire. Et tamen juvenis ille non nuncuparat vota, sed simplici tantum proposito adjunxerat se Christi paupertati. Quid dicturus fuisset Christus, si juvenis religio-

ligiosorum more palam jurasset paupertatem & Virginitatem?

Pauca etiam nunc alia ejus Sophismata proferamus in lucem.

193. Cap. X. ait: „se, si posset uno momento abstrahere se Christianum esse, destructionem Sectæ stoicæ pro infortunio & calamitate generis humani habere debere.

Vanus est. Primo quia in universum hoc de Secta Stoica affirmat, nulla facta exceptione: cum Stoicæ Secta gravissimos errores docuerit: qui si destructi sunt, magna calamitate liberatum est genus humanum.

Quæ vero bona erant apud Stoicos dogmata, ea destructa neutiquam sunt, sed per Christi doctrinam perfecta & emendata. Quidquid ergo de Stoicis destructum est, aut malum est; & malum destructum esse, non est calamitas: aut est societas quædam externa Stoicorum, sectam & scholas non amplius habentium; & hoc rursus non est calamitas generis humani, sed res indifferens. Et qui hoc putat calamitatem, quod Stoicæ scholæ desint, remedium habet ubique obviam: adeat Scholam Christianam toto orbe diffusam. Vanus igitur lusus is est belli hujus, sed non solidi ingenii.

194. Cap. XI. canit iterum Puffendorffii pullus contra instituta

religiosa hoc prolato sophismate. „Homines facti sunt ad se conservandum, se nutriendum, se vestiendum, & actiones omnes societatis edendum: Ergo Religio non debet ipsis dare vitam nimis contemplativam.

Imprimis hoc idem valet ac si dicerem: Homines facti sunt ad adorandum DEUM: ergo leges humanæ non debent ipsis imponere nimis activam vitam.

195. Nimum autem ipsi est, *quinq̄ies de die adorare DEUM, & per singulas has vices facere UNUM ACTUM, per quem pondus mundi rejiciant omne id, quod ad hunc mundum pertinet. Hoc Turcas format ad speculationem . . . si deinde accedant alia etiam, quæ ipsis dent spiritum precarium (id est non addictum rebus hujus sed alterius mundi) TOTUM EST PERDITUM, Tout est perdu. & ob hoc reprehendit superstitionem Mahumetis, quæ totum perdit. Religio ergo Davidis plusquam nimia fuit, qui SEPTIES IN DIE laudem dixit DEO, & MEDIA NOCTE surgebat ad confitendum illi. Et tanto magis nimius fuit propheta, quod ipse Rex fuerit, cui laborandum non tantum pro se sed pro omni populo fuit. Tout étoit perdu.*

146. Scilicet pauca momenta, quæ DEO soli impendantur, politicis



liticis nimia sunt & periisse videntur non illa tantum momenta, sed cum ipsis omnia. Et Puffendorffius cum sui similibus non capiunt quid hoc sit, statum servare in quo soli DEO serviatur? Verum cum ipsi regum, id est hominum, mancipia illis solis semper servire contendunt, totas dies & noctes excubant in atriis principum, vel ante fenestras amicarum, vel inter lusus chartarum, omnia hæc lucra sunt maxima, nihil nimium. Quantum fatigant cerebrum suum politici, ut hominibus placeant, ut gradu altiore potentur? hoc pulcrum est, hæc speculatio stomachum confortat. Sed qui de DEO cogitant, & qui in lege ejus meditantur die ac nocte, ii homines nequidem sunt.

197. Revera homines omnia momenta deberent impendere agnitioni & cultui DEI, eumque amare ex toto corde, ex tota anima & ex omnibus viribus C'EST TROP dicit auctor spiritus legum: O absit hoc, hoc nimium est Christe mi! ego factus sum ad comedendum; debes ex hoc numero & postulato tuo aliquid remittere.

Dicat huic Christus, transigetque rem cum tam bello ingenio: Da mihi hoc, ex viginti quatuor horis quas tibi dedi, partem quartam impende mihi & ut me tibi

loquentem audias. C' est trop, dicit ille. Ego natus sum ad comedendum. Tu me vis facere monachum, hominum genus Juri naturæ ex decreto Puffendorffii repugnans. La servit tout perdre.

Bonus Christus quid faciat? Petat partem decimam sibi reddi, qui posset auferre totum? Non patet. Repulsam enim certam patietur. Nimium. Dicit ergo tandem auctori respectivo spiritus legum: quia in Spiritus doctorem te profiteris, non tibi erit grave, homini utique spirituali, mihi ac meæ contemplationi tantum tribuere, quantum Turcæ homines carnales tribuunt præcipienti Mahumeti. Fac hoc, & saltem quinquies de die me cogita, & in singulas has vices uno solo momento obliviscere cibi, vestis & ceterarum rerum corporis. Quis dubitet, rem tantillam impetraturum Christum à spiritus doctore? Quinque momenta, sola quinque momenta? Non, dicit auctor, non. Hoc fieri per spiritum meum nequit: hoc nimium est spiritui meo: totum est perditum: si quinque momenta DEO cogitando impenduntur, totus dies in interitum ruit, perit. C'est trop, tout est perdu. Nimium petis Christe. Ego . . . factus sum ad comedendum. Tribus horis mihi opus est

est ad prandium, quia sum nobilis, & quindecim fercula mensæ meæ imponuntur. Duabus horis opus est ad cœnam, quia ibi vinis exoticis indulgendum est pro more, ut somnus concilietur. Dimidia hora sumitur potus Thé, altera dimidia potus Chocolatæ, altera Caffé. Tribus horis in cœtu nobilium nocturno versandum est & ludendum carthis. Tribus horis standum in atrio principis. Una hora induendæ vestes & capillitium fingendum: tribus horis sedendum in Concilio: totidem impenduntur avertendis fociorum in me insidiis & aliis in eos fruendis. Novem horis dormiendum post tot labores. Et ecce jam curta nimis dies est, etsi viginti septem horas numeraret, non sufficeret. Et tu postulas quinquies de te per diem cogitari? C' est trop. Et adhuc nihil dixi de Comœdia, quæ spectanda est: nihil de hippodromo, nihil de venatione, deque ceteris omnibus actionibus vitæ humanæ, ad quas natus factusque sum.

198. Capite XII. inquit: Bonum est, ut Pœnitentiæ jungantur ideis laboris, non ideæ otiositatis. Videtur secundum priores suas doctrinas, pœnitentiæ non bonas existimare omnes illas, quæ non sunt ordinatæ ad colendos agros, cibum parandum, amictum confuendum; sed tantum ad contem-

plandum DEUM; quia his politici contemplatio est otium Puffendorffianum juri naturæ repugnans.

199. Capite XIV. sic habet: „ Quando religio condemnat res, „ quas leges civiles debent per- „ mittere, noxium est, si leges ci- „ viles non permittant vicissim „ eas res, quas religio debet „ condemnare. Quia una ista- „ rum rerum semper est indicium „ deficientis harmoniæ, & quod „ ideæ non sint accuratæ & soli- „ dæ, qui defectus se extendit „ supra rem alteram.

Misere formata antitheta, itaque in ancipiti posita, ut quilibet exinde deduci à quolibet possit. Id quod demonstrare nos superfedemus, satis jam prolixo ostendenda paupertate rationis naturalistæ hujus.

200. Eodem capite rursus addit: „ Homines, qui credunt se „ cura præmia in altera vita, se „ furripiunt legislatori: nimis „ contemnent mortem. Quomodo „ legibus continebis eum hominem, qui se credit certum „ esse, maximam pœnam à magistratu infligendam, nempe „ mortem, sibi viam aperire ad „ felicitatem?

Trajanus Imperator non Plinio sed huic auctori debuisset dare negotium, ad examen vocandi Christianos illius temporis, ad-